DE ANNALIUM HILDESHEIMENSIUM CONTINUATIONE PADERBORNENSI

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XI. MENSIS IULII A. MDCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS NIEMANN

OLDENBURGENSIS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

PATRI DILECTO

FILIUS GRATUS.

Inter annales res prioris medii aevi referentes Hildesheimenses historiam perscrutanti opus haud spernendum esse, satis constat. Ut pleraque ejusmodi monumenta illi quoque ex compluribus partibus compositi sunt, cum saepissime alius auctor, ubi antecedens desiit, opus longius prosequatur, sive ex sua ipsius peritia res conscripsit, sive ex alio quodam fonte hausit.

Ultima illorum annalium Hildesheimensium pars annos 1109—1137 comprehendit et Continuatio Paderbornensis nominatur (ed. Pertz. Mon. Germ. hist. Scriptt. tom III. pag. 112—116.)

In Paderbornensi enim episcopatu, qui Meinwerci imprimis opera e primordiis exiguis ad gloriam opesque haud contemnendas effloruerat, non solum in hominibus, qui subditi erant, erudiendis monendisve diligentia ponebatur, sed etiam studia et artes liberales admodum curae erant.

Praecipue enim historiae illorum temporum fontes inquirenti duo opuscula monachi, quod quidem viris doctis apparet, monasterii Abdinghofensis, ad illam urbem Paderborn siti, reliquerunt, quorum unum est „Vita Meinwerci“, egregrii illius viri, alterum annalium Hildesheimensium continuatio, cujus modo meminimus.

Prior liber, imprimis quod ad artem historicam pertinet, posteriori quidem antecellit; hic autem aliis annalium scriptoribus eo praestat, quod auctor non in eorum modum opus composuit, qui priora opera compilarunt, notas suas, saepius exiguas, intexentes vel admiscentes, sed ipse res suo tempore gestas descripsit confecitque; spatium quidem non admodum longum sed contracte breviterque narratum; tamen opus, jam ut nunc est, magni momenti. Dico: ut nunc est; nam illa annalium Hlldesheimensium continuatio non ea, quam primum habuit, forma nobis relicta est, sed excerpta et admodum attenuata.

Si quis igitur pretium virtutesque illius operis recte aestimare velit, ad primam illam formam, si quidem fieri possit, regrediatur eamque cognoscere studeat necesse est. Itaque de illa continuatione questionem, sitne re vera excerpta, et quem ad modum instituimus. Ubi, id quod saepius evenit et in tali re vix evitari potest, res ad planam evidentiam perduci ron potuit, probabilitas sufficiat.

Auxilia autem, quae in re inquirenda nos adjuvarunt, imprimis opus Annalistae Saxonis (edidit Waitz, Mon. Scriptt. VI. 542—777.) et Annales Colonienses Maximi sunt (ed. Karolus Pertz, Mon. Scriptt. XVII, 723—847.); et quidem ille ann. Hildesheimensibus ab initio, ann. Coloniensium auctor continuatione sola Paderbornensi usus est. Annalista Saxo in compilatione sua ingenti, praeter annales Hildesheimenses, in prioribus operis annis multos, undique petitos, fontes adhibuit; in posterioribus Ekkehardus Uraugiensis et Cosmas Pragensis summum obtinent locum, a quibus magis magisque recedit, ita ut in fine praeter nonnulla, quae e continuatione Paderbornensii hausit, sua proferat[1]). Est autem

[1]) f. Wattenbach in libro „Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter 2. Aufl. Berlin 1866. pg. 410—413; 499 et al. loc.

scriptor sedulus et in compilando accuratissimus, qui annales, quibus uti poterat, ad verbum exscripsit et fine excepto pauca de suis addidit; quin etiam in multis annis ne verbum quidem quod ab ipso ortum sit, invenitur. — Annales vero Colonienses inde usque ad annum 1106 Ekkehardo fere solo utuntur; ab hoc autem anno, quo Ekkehardi chronici prior pars desinit, Annalista Saxo et annales Hildesheimenses vel potius cotinuatio Paderbornensis inter se consentiunt. Describunt res, etsi non tam abundanter, tamen non minus ad verbum accurateque, quam Annalista Saxo.

His praemissis ad ipsam rem transimus. —

Continuatio Paderbornensis incipit, ut supra diximus, ab anno 1109, verbis: „Archiepiscopus Coloniae Friedericus etc.“ et desinit anno 1137, quo anno Lotharius supremum diem obiit. Stilus modusque loquendi idem est, qui etiam in aliis annalibus invenitur; sententiae breves, indicis vel breviarii historici instar ad finem progrediuntur.

Argumenta autem ad quaestionem demonstrandam partim ex ipsa annalium indole, partim ex annalibus Hildesheimensibus [1]) et Coloniensibus et Annalista Saxone inter se ipsos comparandis sumi possunt.

Multa enim sunt certe, quae ab annalium Hildesheimensium scriptore omissa esse mireris; sed cum saepius illius aevi scriptores non accurate in rebus describendis sint et ea quoque, quae ad illos omnino pertinent, praetermissa esse videamus, de nostro quoque ut aliud cogitet, nisi propriis causis commotus, nemo cogi potest. Si porro res, quae a nostro omittuntur et ab annalibus Coloniensibus et Annalista Saxone narrantur, in sententiis, quas ex ipso depromptas esse

---

[1]) „ann. Hildesheim.“ in seq. imprimis continuationem Paderb. significant.

apparet, tam arte consarcinatae sunt vel se ad eas ita applicant, ut sine vi dirimi non possint, illas etiam pertinuisse ad nostram continuationem putare licebit.

Quod ut facilius intelligatur, singulos annos proferamus, et haec prior quaestionis pars sit.

PARS PRIOR.

Anno 1110. annales hoc modo inter se consentiunt:

Ann. Hild.

1110. ind. 2. Non. Martii synodus gloriosa in Lateranensi aecclesia presidente domno Papa Paschali celebratur. Praedicti legati Leodium ad regem veniunt, responsum papae referentes. Ibi rex anglici regis filiam sponsam suscepit, quam in pascha apud Trajectum regio more dotavit. Expeditio in Italiam ab universis occidentis principipibus Trajecti collaudatur. Circa 5. Non. Jun. stella adulta jam nocte aparuit, radios admodum longos versus

Ann. Col.

A. D. 1110. rex natalem Domini Bavenberg celebrat. Synodus gloriosa Nonas Martii in Lateranensi ecclesia presidente domno papa Paschali celebratur, presentibus plurimis episcopis et abbatibus, ubi omnium communi consensu hec capitula edita sunt: „Apostolorum etc.“

Ann. Saxo.

A. d. i. 1110. Heinricus rex natale Domini Babenberch celebravit . . Synodus gloriosa Non Marcii in Lateranensi eclesia presidente domno papa Paschali. celebratur, presidentibus plurimis abbatibus, episcopis, ubi omnium communi consensu hec capitula edita sunt „Apostolorum etc.“

Sequitur responsum synodi, quod inter ann. Colonienses et Ann. Saxonem consentit, nisi quod ann. Colonienses verba: „sunt preterea . . . . subiciantur“ addidere.

Predicti legati Leodium ad regem veniunt respon-

Predicti legati regis Leodium . . . . . veniunt

Ann. Hild.

austrum de se effundens Ecclipsis lunae facta est 2. Non. Mai. Slavi regionem Albianorum irrumpunt, multisque occisis et captis redeunt. Inde dux Liuderus permotus . . . . . subduntur.

Ann. Col.

sum domni apostolici referentes, ea tantum, que canonici et ecclesiastici juris sunt, domnum apostolicum exigere, de his vero, que regii juris sunt domino regi se nichil imminuere. Ibi apud Leodium dominus rex Anglici regis filiam, honorifice ut regem decet, sponsam succepit. Godefridus dux Lotharingiae gratiam regis ob noroae inteventum reginaepromeruit.Rexfestum Paschae apud Trajectum peragit.Ibi ex jussu regis capite quidam truncatur, quia in necem eiusdem loci episcopi Conradi consensit. Ibi rex sponsam suam regio more dotavit. Hec eadem in festo sancti Jacob Apostoli in Reginam Mogontiae ab archiepiscopo Friderico Coloniae consecratur. Expeditio in Italiam . . . redeunt. Occiditur ibi comes Godefridus de Hammenbrug. Inde dux Saxoniae Lotharius permotus . . . . subduntur. Novaria civitas clara propter quorundam rebellionem diruitur.

Ann. Saxo.

responsum pape referentes. Ibi rex Anglici regis filiam sponsam suscipit, quam in pascha apud Trajectum regio more dotavit. Expeditio in Italiam . . . . redeunt. Occiditur ibi comes Godefridus de Hammaburn. Inde dux Liuderus sive Lotharius permotus . . . . victor rediit. (Ekkeh.) Rex Heinricus . . . transcendentibus. Providerat . . . . . reddendam. Igitur . . . . excepit. Paucis . . . . donavit. Post hec pluviis. Hasque . . . . Domini. (Cosmas) Polonii . . . . metati. Quibus . . . 8 Idus Octob. (Ann. Corbeiens. Eodem anno GebehardusConstantiensis episcopus obiit.) (Ann. Saxo.) Oda marchinionissa . . . . obiit.

Initium igitur synodi Lateranensis ab annalibus Hildesheimensibus, Coloniensibus, Annalista Saxone iisdem verbis datur, effusa autem narratio in ann. Hildesheimensibus deest. Sed tota illa narratio, quae in ann. Coloniensibus et Annalista Saxone est, tam facile inter se cohaeret, oratio usque ad finem tam continua fluit, ut illae res, praesertim cum etiam, quidnam illud responsum fuerit, in ann. Hildesheimensibus omittatur, ex ampliore libro potius attenuatae, quam ab alio auctore additae atque insertae esse videantur.

Simili modo annus 1111, qui ab ann. Hildesheimensibus satis diffuse narratur, ab ann. Coloniensibus et Annalista Saxone omnis describitur, idque ad hoc magis ad verbum quam ab illis, cum plures horum sententiae interpositae in Annalista Saxone et in Ann. Hildesheimensibus desint. Utrum vero ann. Colonienses, an Annalista Saxo primum exemplar magis ad verbum transcripserit, haud discernam.

1114. Magnum nostrae quaestioni argumentum esset, si fons ann. Coloniensium hujus anni ann. Hildesheimensibus vindicari posset. Id quidem constat, auctori secundae recensionis alium fontem ad manum fuisse ac primae.[1]) Manifestum autem est, ann. Hildesheimenses, si in hac narratione Coloniensium involuti jaceant, in prima recensione reperiri ut quae effusius scripta, aliis quoque locis cum ann. Hildesheimensibus magis consentiat. Et profecto non modo nihil obstat, quominus res ita se habeat, sed etiam quaedam hoc affirmant. Si quis enim secum reputarit, annalium scriptores eas praecipue res, quae circa sunt, referre, non probabile esse judicabit, auctorem annalium Hildesheimensium suae ipsius patriae Guestphaliae vastationem, quam in ann. Col. descriptam iuvenimus, silentio transiisse; immo vero satis

[1]) primam recensionem Pertz nominavit codicem Ashburnhamensem.

superque lucebit, locum, ubi haec res commemoratur, postea esse ejectum. Accedit quod ann. Colon. iisdem verbis incipiunt quibus Hildesheimenses: „Imperator natalem domini Goslariae celebrat. . . . . Quae res multos principum contra regem exacuit. Udo Hildesheimenses episcopus obiit.“ Ann. Coloniensium narratio post verbum „exacuit“ sequitur. Et cum sententiae „Udo etc.“ et illa „Gumbertus abbas Paterburgensis obiit 8. Idus Augusti,“ quae sane ann. Hildesheimensibus attribuendae sunt, in media ann. Coloniensium narratione inveniantur, in ann. Hildesheimensibus autem nunc desint, illas e primo exemplari sumptas esse affirmaverim. Potest autem esse, ut ann. Colonienses nonnulla e suis addiderint, id quod saepius videtur accidisse.

Fit autem mentio hujus abbatis Abdinghofensis in anno sequenti: „Gumberto abbate mortuo successit Hamako.“

„Bruninchus Hildesheimensi ecclesiae praeficitur episcopus.“ [cf. Ann. S.: „Post Udonem Bruningus, ab inperatore investitur, Hildesheimensi ecclesiae prefertur episcopus.“] Id autem non nisi ab auctore Paderbornensi vel Abdinghofensi scriptum esse, nemo certe est qui neget. Quae sententiae cum in ann. Hildesheimensibus, ut modo diximus, omissae sint, sequitur, ut majus quoddam illorum exemplar exstiterit [1]. Quare non est, quod etiam alia plura, quae in ann. Coloniensibus et in annalista Saxone inveniuntur, nostris vindicemus, si enim ex illa indole sunt conscripta, quam supra (p. 6—7) proposuimus.

Annum sequentem 1115 si cum ann. Coloniensibus contuleris, Hildesheimenses ab iis integros transcriptos non esse facile observabis.

A. 1117. Wattenbach recte monuit, auctorem Hildeshei-

---

[1]) Sic etiam voluit Wattenbach in libro cit.: pag 292 n.

mensem res in Italia gestas bene cognitas habuisse, sed caute tractare; attamen in narratione hujus anni nihil omnino de iis dicit. Mirum porro est, quod in aequa Annalistae Saxonis narratione, quae post Ekkehardum sequitur, de reditu episcopi Paderbornensis, qui ad ipsam rem pertinet, in nostra continuatione nihil narratur. Verba Saxonis haec sunt:

„Mogontinus vero et Coloniensis, Trajectensis, Halberstadensis et Paderbrunensis episcopi, abbas Corbeiensis, dux Luiderus, comes Herimannus Rhenum transeunt. Ordinatur Moguntie in Monasterio sancti Albani consilio episcoporum qui aderant, ab archiespiscopo Coloniensi Friederico Thietmarus Verdensibus episcopus. Quo facto, episcopus Paderbrunensis remeat.“ Continuat Ann. Saxo narrationem verbis ann. Hildesheimensium: „Magna aevis inaequalitas facta est . . . . Similis quoque conflictus in stellis visus est, quibus verbis haec inseruit: „Gertrudis ductrix, avia Liudere ducis obiit. Wicbertus et Ludowicus comites demissi sunt.“ Quibus de causis in Hildesheimensibus plura deficere videntur et illa Saxonis narratio, quamvis non omni ex parte, ex illis esse deprompta. Colonienses autem, cum hoc anno alium fontem sequantur, ad rem demonstrandam argumenta non suppeditant.

Sequens annus (1117) in ann. Coloniensibus bene cohaeret. Desunt, ut fere semper, in ann. Hildesheimensibus et Coloniensibus notae, quas Annalista Saxo de gentium stirpibus exhibere solet, quare sine dubio huic ut suae attribuendae sunt.

A. 1118. Verba Annalistae Saxonis „Principes Saxonie‘, etc. bene quidem cohaerent cum narratione ann. Hildesheimensium praecedenti, sed a verbis „hujus pater“ etc. usque ad „Item eodem anno cet.“ inveniuntur illae de gentibus familiisque notae. Annalista Saxo, quod ad Baldwinum attinet, Ekkehardo usus est, et non ann. Hildesheimensibus, id

quod aliis quoque locis invenies[1]), cum contra ann. Colonienses hoc adhibent. — Quod ad iter Burchardi episcopi Monasteriensis attinet, quod in ann. Coloniensibus invenimus Ann. Saxonem, si novisset vel potius si in annalibus Hildesheimensibus legisset, narraturum fuisse et ob eam causam ann. Coloniensibus ipsis, non autem Hildesheimensibus adjudicandum esse arbitrere. Attamen ad id quoque respiciendum est, Annalistam Saxonem saepius non omnia assumpsisse, quae in ann. Hildesheimensibus, jam ut nunc sunt, inveniuntur.

A. 1123. Plura in hoc anno sunt argumenta, ex quibus conjici licet, narrationem in ann. Hildesheimensibus esse amputatam. Conferantur:

Ann. Hild.	**Ann. Col.**	**Ann. Saxo.**
A. 1123. Adalbero Premensis archiepiscopus canonice electus pro reposcenda pallii dignitate Romam vadit; ibi a domno apostolico Calisto honorifice suscipitur, in archiepiscopum ab eo consecratur, habitaque synodo canonico et judiciario ordine pallium obtinuit, negligentia duorum antecessorum suorum amissum et in Danos translatum.	A. D. 1123. imperator circa pentecosten ad fines occidentis descendit; Sculenburg ad injuriam episcopi Trajectensis Godebaldi obsedit, Dux Saxoniae, Lotharius, episcopus Dietericus Monasteriensis, ut predictum castrum ab obsidione solverent, contra imperatorem rapta acie vadunt, et non longe ab invicem fixis castris considunt. Palus interjacens, ne congrederentur eos destinuit. Tandem predictus dux motis castris super Da-	A. d. i. 1123. In festo natalis domini . . . . causa exstitit [cf. ann. Hild. et Ann. Sax. ad ann. 1122.] (Ekkehard.) Heinricus imperator . . . . presumebat. (Ann. Sax.) Proxima . . . . remeat. (Ekkeh.) Claruit . . . . migravit. (Saxo). Cono Strasburgensis . . . . . interiit. — Imperator circa pentecosten ad fines occidentis venit. Sculenberch . . . . obsedit. At dux Linderus Theodoricus Monasterii episcopus, ut

[1]) Aliud hujus modi exemplum Cosmae Pragensis videbis an. 1123.

Ann. Col.

ventere irruit, hoc modo sperans imperatorem ab obsidione dissessurum et pugnandi sibi locum fieri. Quidam vero de Monasteriensis episcopi parte, quasi predabundi villam predictam invadunt vallum transcendunt, propugnacula magna ex parte diruunt, villani vero prout ipsa res monebat, fortiter resistendo eos repellunt, sicque aliquot amissis, in campo proximo considunt. Quo audito imperator castrum deserit, Daventeri auxilium laturus tendit; Castellani ab obsidione solvuntur. Dux vero Castellanis vires reparat, ipsum castrum victualibus replet. His actis, voti sui compos remeat. Imperator Wigberto marchiam in Misne tradit. Dux Lotharius in eandem marchiam Cuonradum de Witen ducit et collocat. Quo facto cum Alberto de Ballenstide usque ad Jlburg procedit eorumq. consensu, qui in utrisque marchiis primates erant, ambo marchias

Ann. Sax.

. . . . considunt. Villani vero, prout res monebat . . . . considunt. Quo auditu . . . . tendit. Castellani ab obsidione solvuntur. Dux vero . . . . replet. His actis . . . . remeat. Adalbero Bremensis archiepiscopus post Fridericum, qui 3. Kal. Februarii obierat, canonice electus . . . . translatum (Ann. S.) Antiqua enim et nobilis illa Bremensis etc. excipientibus, Imperator marchiam Wicberto tradit. Dux Liuderus cum aliis principibus super hoc indignantibus suscipit bellum, et in eandem marchiam Conradum de Witin ducit et collocat. Quo facto cum Adalberto, filio Ottonis de Ballenstide, ... suscipiunt. (Cosmas:) Hisdem diebus Wladislaus dux Boemiae et Otto jussu imperatoris . . . . adversarios suos. At Wicbertus, quasi fugiens rediit; dux autem Boemie . . . . rediit (Godebaldus . . . . obtinet

Ann. Col.	Ann. Sax.
singulas regendas suscipiunt. Wicbertus vero auxiliantibus ei archiepiscopo Mogontino et duce Boemiae, duci Lothario congressurus venit, set quasi fugiens rediit. Dux vero Boemiae, multis amissis in terram suam abiit. Dux autem Lotharius Libuze obsidione vallat, acceptoque obside filio Heinrici cum capite qui castello preerat, victor uti, semper consuevit, redit.	Sculenberch concrematur cet.)

Ex hoc loco cognoscis, ea quae de rebus Bremensibus traduntur, ab ann. Coloniensibus praetermitti, eosque igitur non omnia quae in eorum fonte inerant exhibuisse. A verbis „Imperator Wicberto etc.“ narratio continuata inter Ann. Saxonem et ann. Colonienses consentit, sed solum usque ad verba „Godebaldus“ cet., id est, dissensione Lotharii desinit. Mihi quidem tota haec tam arte cohaerens tamquae continua fluens oratio ex uno eodemque fonte, scilicet ex Paderbornensi, profluxissi videtur. Fortasse etiam verba „Godebaedus obtinet“ ex eodem fonte deprompta sunt. Nam Ann. Saxo ea jam supra rettulit, quae Ekkehardus de hoc tumultu narrat, a quo Godebaldus, pecunia data, libertatem accepisse, ac non per imperatricem reconciliatus esse memoratur. Cf.:

(in initio)	(et hoc loco)
(ex Ekkek.) Pontifex Godebaldus etiam ipse . . . . . custodie traditur; a qua postea magna pecunie summa multatus, multis etiam prin-	Godebaldus Trajectensis episcopus gratiam imperatoris per interventum imperatricis, adnitentibus principibus obtinet.

cipibus illarum partium intervenientibus, et maxime Friderico Coloniensi archiepiscopo vix redimitur.

Quae nota, si Ann. Saxoni ipsi addicenda esset, ad Ekkehardi narrationem adhaesisset; id inde venisse putem, quod Ann. Saxo praeter Ekkehardum alium fontem habuit, quem, cum cohaereret, totum descripsit. Et sententia, quum ad fontem ann. Coloniensibus et Ann. Saxoni communem apte se applicet, mihi ex nostris antiquis ann. Hildesheimensibus esse videtur.

1124. Tumultus Wormatiensis etiam ab Annalista Saxone narrantur ex Ekkekardo, sed in ann. Coloniensibus accuratius ex alio fonte. Quae de tempestatibus ex ann. Hildesheimensibus narrantur, eodem modo apud. Ann. Saxonem ad illam Ekkehardi narrationem atque ad ann. Coloniensium fontem se applicant. Jam videris, quo more Ann. Saxo pro alio fonte alium substituere soleat (velut 1119) et cum ann. Hildesheimenses hoc anno admodum breves sint, (sola res gravior quae memoratur est mors Calixti successioque Honorii) in ann. Hildesheimensibus plura ejecta esse conjicere licet. Accedit, quod mors Friderici de Arnesberg in ann. Coloniensibus ad narrationem arte se applicat, atque apud Ann. Saxonem invenitur, apud hunc autem in media oratione; sed notas de gentium stirpibus ipsi Saxoni vindicandas esse, jam supra diximus. (Narrationem videbis pag. 25).

1125. Hoc Anno Ekkehardi chronicon desinit. — Ann. Hild. pro verbis „episcopi, duces, marchiones, comites,“ ut sunt in ann. Col. et apud Ann. Sax. contrahentes „omnes habent.“ Ann. Colonienses plura omittunt, imprimis illum panegyricum totum non continent, brevitatis causa ut videtur,

non autem quia Saxo in suis additamentis alio quodam fonte usus est.

Anni sequentis, qui ad propositum demonstrandum admodum multa argumenta suppeditet, tres nostros fontes exhibemus:

Ann. Hild.

A. 1126. Novus rex natale Domini apud Argentinum celebrat, abhinc ad patriam redit. Rotgerus Parthenopolitanus episcopus obiit, cui Northbertus succedit. Rex, rapta acie, admodum parva in Boemiam pro restituendo Ottone qui injuste se honore praedictae provinciae privatum querebatur, tendit, incaute quidem. Tria enim millia, non plus secum assumsit, hostium vero viginti millia aut amplius erant. Ducenti vero expeditiones regem praecedebant, ad praecidendas, indagines silvae quae Boemiam a Saxoniam disterminant dispositi. Cumque hi per invia et abrupta silvae, quasi repentes laborarent, tum nivium magnitudine, tum indaginum incisione fatigati, hostium insidiis ex

Ann. Col. | Ann. Sax.

A. D. 1126. natalem (A. S. rex Liuderus) Domini apud Argentinam celebrat (A. S. celebravit [et A. S.] Fridericus dux Alsaciae nova quaedam contra regem molitur (A. S. molitus) principum judicio dampnatur. Rex ad patriam regreditur.

Rotgerus, Partenopolitane urbis episcopus obiit, cui Norbertus successit.

Apud Corbeiam Wisura, glacie, quasi obice repellente, inundando totam urbis aream occupat, pavimentum ecclesiae preciosi martyris Viti more stagni contegit, set paulo post, opitulante eodem sancto, sine periculo ad solitum meatum redit. Preterea multis aliis in locis diversarum regionum magni terrores seu pericula ex nimia aquarum inundatione contigerunt. Frequens principum conventus Goslariae rege presente fit, (et A. S.) Expeditio post penticosten contra ducem Fridericum ab omnibus collaudatur. Rex rapta acie . . . . clari (Ann. S.: numero 270).

Intra quos erant praecipui Milo comes de Amenesleve, Gebehardus de Querenvorde, Berengerus de Quenstide, Bertholdus de Acheim, Walterus de Arnstide et alii

Ann. Hild.

improviso circumveniuntur. Obtruncantur ibique plerique terrae meliores, viri fortes et nobiles domi militiaque clari. Rex expeditionem movet super Fridericum ducem Sueviae vel Alsaciae sed eo in munitiora terrae se recipiente, rex infecto negotio redit. Treviris apud sanctum Eucharium reperitur corpus sancti Mathiae apostoli subtus altare sancti Johannis baptistae. Quo digne locato deinceps ab omni populo Teutonico maxima devotione colitur.

Ann. Col. — **Ann. Sax.**

Ann. Sax.: plures, quos enumerare longum est.

Quibus si in plano congrediendi copia esset, profecto quantae virtutis essent, posteris innotuisset. Cadunt tamen non ut ignavi aut fugientes. Nemo ibi averso vultu, quod signum est fugientis, sed adverso corruit. Quem quisque locum vivendo optinuit, eum moriendo non amisit. Hostium strages magna fuit. Otto quoque cujus supra mentionem fecimus inter hostium cadavera confertissima exanimis repertus est. Marchio Albertus egregiae indolis juvenis et militaris, capitur. Quo audito rex, atrocior in hostem concitatus et ut leo efferatus, pugnae se preparat, omnia experiri malens quam turpi fuga sibique insolita vite consulere,

Ann. Col.: et ut de Julio scriptum est: „Ire vel in clades properat dum gaudia turbet.“

Wotheiricus, nam id nomen erat ei qui Boemiam obtinuit.

Dux autem Zobezlaus audita regis constantia de adversis rebus nil tremefacti . . . . . regreditur.

Ann. Sax.: Rex sacrosanctum dominice resurectionis festum Magedaburg elebrans . . . constituerunt.

Rex expeditionem movet super Fridericum ducem Alsaciae, sed eo in munitiora terrae suae recipiente, rex infecto negotio redit. Heinricus, dux Boivariae et uxor ejus Wilfericht, filia ducis Saxonum magni obierunt. Treviris . . . . colitur.

Sunt igitur sententiae ann. Coloniensium et ann. Saxonis, imprimis quod ad expeditionem in Bohemiam susceptam pertinet, adeo consarcinatae atque connexae, oratio tam continenter et placide incedit, ut fontem unum eundemque fuisse vix negari possit. Quae de Magdeburgo narrantur, cum, quoties Annalista Saxo hujus civitatis mentionem facit, in ann. Coloniensibus non inveniantur, ann. Hildesheimensibus attribuenda non videntur. Eodem modo verbis: „Hic Heinricus filius Wilphonis ducis“ cet., cum notas illas de familiis gentiumque stirpibus compositas, ut jam supra vidimus, addere Ann. Saxonis mos sit, si non ipse primus scripsit, tamen alius fons exoriri videtur.

A. 1127. In hac narratione ordo sententiarum inter Ann. Saxonem et ann. Col. non quidem tam continenter quam superiore anno consentit; atque locus sententiae, Theodoricus . . . . cubiculo. Quidam nefarius cet. ab ann. Coloniensibus mutatus esse videtur, quippe quae ab Ann. Sax. aptius in fine posita narrationi „Gieselbertus“ cet. melius cohaereat.

A. 1129. Hoc anno apparet Ann. Saxonem et ann. Colon. usque ad verba „Eodem anno“ . . . omnino consentire, deesse autem in ann. Col. narrationem de iis rebus, quae de Magdeburgi acciderant; itaque haec (cf. supra) alio ex fonte derivanda esse intelliges.

A. 1130 — 1137. Quibus in annis eodem modo ut antea Annalistae Saxonis et ann. Coloniensium narratio inter ipsos cohaeret consentitque. Auctorum ubi ille desinit, hic incipit et quamquam ann. Hildesheimensium sententiae hic illic insertae inveniuntur, tamen oratio, etiam in enumerandarum historiarum ordine aeque fluit continenterque procedit. — Notatu dignus est a. 1130, quem in fine citabimus. Perspi-

cuum enim est, excerptos esse ann. Hildesh., cum sententiis totis ejectis, tum rebus, quae narrantur, contractis; sententiae, enim quae nunc in ann. Hild. desunt, narrationi tam arte inhaerent atque ad fontem unum spectant, ut illas esse a posteriore manu interpolatas vix cogitari possit.

Anni 1131 — 1132 locus, ubi Ann. Saxo de Magdeburgo urbe disserit, omittitur ab ann. Coloniensibus.

In anno 1134 fons ann. Coloniensium alioquin ignotus invenitur, qui notis, quae antecedunt, bene adhaeret.

In annis sequentibus pauca ann. Hildesheimensibus vindicari possunt. Imprimis annum 1137. Ann. Saxo ipse effuse enarravit. Quis huic fons fuerit, quis dicat?

PARS ALTERA.

Vidimus igitur locos, qui ab ann. Coloniensibus ex Annal. Saxone deprompti esse putantur, bene et arte cum iis, qui in nostra continuatione Paderbornensii sunt, cohaerere, atque complures sententias jam per se ipsas in annalibus Coloniensibus et Ann. Saxone tales esse, quae illi aptissime attribui possint. Praeterea autem aliud est argumentum, quod si probari potest, nemo certe erit, quin propositionem nostram veram esse intelligat. Mihi enim maxime addubitandum esse videtur, num auctor ann. Coloniensium Ann. Saxonem omnino notum habuerit atque exscripserit. —

At huic sententiae repugnare et adversari videtur, quod Ann. Saxo desinit anno 1139, ann. Hildesheimenses jam a. 1137; Colonienses vero etiam in annis 1138 et 1139 cum Ann. Saxone consentire apparet. Sed si consideres, id quod constare demonstravimus (cf. a. 1114), ann. Hildesheimensium aliud quoddam exemplar, idque latius atque uberius perscriptum, exstitisse, tum vero quid obstat, quominus illud longius extensum fuerit, atque is, qui excerpsit opus fortasse morte Lotharii apte voluerit finire?

Plura autem sunt, quae quod intendimus confirmant, eaque nunc tractemus.

Jam supra dictum est, ann. Colonienses usque ad a. 1105. neque ann. Hildesheimensibus neque Ann. Saxone sed, perpaucis exceptis, Ekkehardo chronico solo esse usos. Is annus est finis primae Ekkekardi partis, et secundam hujus operis partem ann. Coloniensibus cognitam non fuisse apparet. Ann. Saxo vero Ekkehardum adhibuit usque ad annum 1125., qui annus illius operis finis est. Non est autem ulla sententia neque Ekkehardi neque Cosmae Pragensis, quibus Ann. Saxo tam large usus est, quam ab ann. Coloniensibus ex illis scriptoribus haustam esse probari possit. Memoratu dignum est, quod imprimis in omnibus illis locis, quibus apud Ann. Saxonem Ekkehardi et ann. Hildesheimensium sententiae permixtae sunt (cf. a. 1111., in quo nihil Annalistae Saxonis ipsius est, 1114 init., 1115 init., 1116 init., 1117. seqq.) ann. Colonienses Hildesheimenses exscripserunt ac non Ann. Saxonem; quod hunc tantummodo complexi sunt, cum narratio Ann. Saxonis verba ann. Hildesheimensium praecedit vel sequitur. Id autem casu et fortuito factum esse quis est qui credat?

Sententia autem: „Marquadus Corbeiensis abba moritur; cui rex Erkenbertum Mersburgensem abbatem adveniens

substituit,“ quae in anno 1107. apud Ann. Saxonem et ann. Colonienses invenitur et ob eam causam ab his ex illo esse deprompta putatur, ex ann. Corbeiensibus est; cum autem non Ann. Saxonis ipsius sit, et Ann. Hildesheimenses quoque illis annalibus usi sint, ann. Colonienses illam notam e primo ann. Hildesheimensium exemplari, in quo etiam tunc erat, hausisse conjicere licebit.

Verba porro ad a. 1113 „(Heinricus) imperator natalem domini Erphesfrod celebrat“, quae Ann. Saxonem ex Ekkehardo hausisse dicunt, etiam in ann. Hildesheimensibus fuisse veri haud dissimile est, cum sententia admodum parva atque pervulgata sit, ita ut fortuito cum Coloniensibus consentiat. Cum autem non esset, quod ann. Colonienses Ekkehardum sponte repudiarent, immo etiam non possent, cum sola prior pars illius operis iis esset, tamen plures sententias, quas Ann. Saxo ex illo hausit, in illis quoque inveniamus oportet. Nam sententiae Ekkehardi et Cosmae Pragensis in Ann. Saxone non solum multae occurunt, sed etiam continentur cum verbis ann. Hildesheimensium et Ann. Saxonis ipsius variant, atque cum oratione, quam ann. Saxoni ipsi addicimus saepius omnino connexae sunt.

Sic in anno 1115. iis quae de Saxonibus narrantur, quae ab Ann. Saxone ex ann Hildesheimensibus assumpta sunt, verba Ekhehardi „non pugna . . . confirmabant“ interposita sunt, haec autem quamquam cum tota narratione cohaerent, in ann. Coloniensibus, qui solis ann. Hildesheimensibus usi sunt, non leguntur. Consideres etiam narrationem diversam de iis, quae Moguntiae evenerunt, in qua Ann. Saxo Ekkehardum sequitur, Colonienses contra Hildesheimensibus utuntur.

A. 1117. ann. Colonienses et Ann. Saxo sic consentiunt:

Ann. Saxo.

(Ekkeh.) Dum cuncta . . . . motum. (Ann. Hiid.) Unstrot fluvius . . . . interierunt. (Ekkeh.) Quin . . . . vastantur. (Ann. Hild.) Abbas . . . . vadunt. (Ann. Sax.) Dux Alsatie Fridericus cum Moguntinis acriter dimicat, ibique occiditur comes Emico, Folcold de Malesburch capitur. Rursus ante natale domini concurrunt et ex parte ducis multitudo vulgi plurima perimitur. Gerdrud marchionissa Saxonica nobilissima et potentissima obiit.

(Sequuntur illae notae de gentium stirpibus.

Ann. Col.

A. D. 1117. (Ann. Hild.) in octava . . . . obstrueretur. Verona . . . . corruit. Similiter . . . . interierunt. Unstrot fluvius . . . . terre motu. Repleto . . . . lapsic. Dux Alsaciae Fridericus cum Moguntinis aeriter dimicat. Occiditur ibi comes Emico, Folcholdus de Malesburg capitur. Rursum ante natalem domini occurunt. Ibi ex parte ducis vulgi multitudo plurima perimitur. Gertrudis marchisa nonobilissima et potentissima obiit. (Ann. Hild.) Paucis ante natale . . . . edidit.

Quamquam igitur sententiae ann. Hildesheimensium et Ekkehardi et Ann. Saxonis ipsius alternantur oratioque inter se cohaeret, tamen ne verbum quidem, quod Ekkehardo addicendum est, in ann. Coloniensibus invenitur.

Eandem rem invenies in anno 1123.

Ann. Saxo.

. . . . (Ann. Sax.) Quo facto . . . . suscipiunt. (Cosmos) Hisdem diebus . . . . Liuderi ducis. Presul . . . . armata Saxones . . . . adversarios suos. (Ann. S.) At Wicbertus quasi fugiens rediit; . . . . abiit. Dux . . . . rediit. Godebaldus . . . . obtinet. Sculenberch concrematur. Hugo . . . . representans. (Ekkeh.) Eo itaque cet.

Ann. Col.

. . . . Quo facto . . . . . suscipiunt. Wicbertus vero auxiliantibus et archiepiscopo Mogontino et duce Boemiae duci Lothario congressurus venit, sed quasi fugiens rediit. Dux . . . . abiit. Dux . . . . redit.

A. 1118. Annalista Saxo de Balduino Ekkehardum adhibuit, ann. Colonienses autem ann. Hildesheimenses.

Mirum porro est, quod ann. Colonienses res Wormatienses non ex ann. Saxone ceperunt, (a. 1124) sed ex alio fonte, neque ut mihi quidem videtur ob aliam causam, quam quod Ann. Saxonem non habebant; res fortasse jam in primo ann. Hildesheimensinm fonte non erat. Mors Friderici de Arensberg ab ann. Col. contra ex Ann. Saxone memoratur. Cf.:

Ann. Sax.	Ann. Col.
A. d. i. 1124. (Ekkeh.) Heinricus . . . . celebravit . . . . injuriam. (Ann. S.) Ejusdem . . . . Martii. (Cosmas) Quo tempore . . . . . . Saxoniam (Ekkeh.) Erat . . . . . . mortuus est. (Cosmas) Videns . . . . cohortabatur. (Ekkeh.) Inperator . . . . expetere. Inperator . . . . exteras. Nuntiatur interim, Wormatienses, ... faciunt (Ann. H.) Magne molis grando cecidit 8. Kal. Augusti. Item 3. Idus Augusti, 11. hora diei solis eclipsis fuit, (A. S.) et secuta est maxima pestilentia boum, ovium atque suum. (Ann. Hild.) Magna fames fuit. Domnus papa Calistus, vir (A. S.) sanctissimus, quippe cujus faciem in apostolatu suo nemo unquam vidit immutatam, preterea (Ekkeh.) genere moribus . . . . . . in Domino vitam finivit. Post . . . . appelatur. (Ann. Saxo) Rudolphus . . . . defecit. Moritur hoc anno Fridericus comes de Arensberch	A. D. 1124. Wormacienses . . . . edificat. Quam ipsi . . . . diruunt. Imperator . . . . obtruncat. Tandem . . . . . persolvunt. Episcopus Bucco . . . . expellitur. (Ann. Hild.) Magne molis grando cecidit 9. Kal. Aug. Eclipsis solis facta est 3. Idus Aug. Maxima fames accidit. Calixtus papa obiit, cui Honorius successit. Fridericus comes de Arnesberg obiit.

Eodem modo res, quae Ultrajecti evenerunt, ab ann. Coloniensibus e fonte ignoto ad a. 1122 narrantur, Ann. Saxone Ekkehardum sequente.

In a. 1125. iterum nulla sententia ex Ekkehardo vel Cosma Pragensi invenitur. Mors autem Rotgeri ab ann. Coloniensibus ann. Hildesheimenses sequentibus ad a. 1126 narratur. — Cum autem hoc anno Ekkehardi chronicon finiatur, ideoque Ekkehardi ab Ann. Saxone exscriptae sententiae non iam cum ann. Coloniensibus conferri possint, Annalista Saxo solus et ann. Hildesheimenses cum ann. Coloniensibus comparandi sunt. Sed in hac quoque re occurit, quod multae res, quae ab Ann. Saxone narrantur, ab ann. Coloniensibus omittuntur, quamquam optime cohaerebant et memoratu admodum dignae erant. — Sic anno 1130 multae sententiae ex Ann. Saxone et ann. Hildesheimensibus inter se connexae sunt, et Colonienses in posteriore quidem parte Ann. Saxonem sequuntur, sed verba „jussu ut dicitur“ cum ann. Hildesheimensibus consentiunt. Ann. Saxo autem eadem Hermanno pro certo imputat, („voluntas erat.“)

Imprimis etiam annus 1131 propositionem nostram confirmat; ann. enim. Colonienses sententiam Saxonis interjectam „Heinricus Magdaburgensis“ etc. (v. supra ad a. 1131). omisere, sicut etiam hoc loco res ab ann. Coloniensibus aliis verbis atque ab Ann. Saxone describuntur, qui Coloniensibus omnino non mos est. Eandem rem etiam probat addidamentum Coloniensium „Fridericus expeditionem movet circa pentecosten,“ quod Ann. Saxo jam prius verbis: „pentecosten in civitate argentini“ (cf. supra) dixit. Mirum igitur esset, si ann. Colonienses rem non eodem modo narrassent, si illum descripsissent.

Sic etiam anno sequenti 1132. res se habet. Ann. Saxo enim et ann. Colonienses res gestas narrant, inter se oratione

continua consentientes. Sed in his nonnulla desunt, et verbis: „circa . . . " cum ann. Hildesheimensibus omnino consentiunt. Quis autem credat, ann. Colonienses tam subito ann. Hildesheimenses amplexos esse, ab Ann. Saxone recedentes, qui easdem res optime cohaerentes narrat? Eodem modo etiam additamentum Saxonis: „Rex . . . . . et quia Coloniensis episcopus" ab illis non omissum fuisse videtur; at de Magdeburgo narratur

In annis sequentibus multa, quae in ann. Hildesheimensibus desiderantur, inter ann. Colonienses et Ann. Saxonem consentiunt, plura autem ab illis omittuntur. Sed, ut supra monitum est, tam in his annis sententiae, imprimis quae in ann. Coloniensibus reperiuntur, ita cohaerent, ut unam fuisse narrationem facile conjicias, quam, quae certe Hildesheimensium sunt et quae Ann. Saxonis ipsius, inter se variant.

Postremo aliam rem sane miram attingam. Vides enim quo magis ad finem ann. Coloniensibus venias, plures etiam sententias inter ipsos et Ann. Saxonem consentire, quod hoc modo explicandum esse puto: Ann. Saxo, quamdiu Ekkehardi chronicon habebat, hunc praetulit, hoc autem exeunte, ann. Hildesheimensibus usus est. Quocum etiam consentit, quod ann. Colonienses annis, in quibus Ann. Saxo Ekkehardo utebatur, plures proprias notas ostendunt, contra annis 1125—1137 admodum exiguas. Nam ann. Hildesheimensium sententias, quas Ann. Saxo non assumpsit et pro quibus saepius Ekkehardum adhibuit, si ann. Colonienses eum non cognossent, in ipsis reperiendas esse, ubi vero Ann. Saxo ann. Hildesheimensibus utebatur, etiam ann. Coloniensibus ipsos exscribentibus, magis consentire necesse erat. Animadvertas quoque ann. Hildesheimensibus et Ann. Saxone finitis ann. Colonienses, eodem modo, quo etiam ann. Saxo, cum Ekkehardus de-

siit, suo ipso pede incedere. Quibus comprehensis ann. Colonienses Ann. Saxonem non habuisse apparere puto[1].

Quo anno illud opus Paderbornense inceperit vel desierit in medio reliquam. Hoc certum est, minimum jam ab anno 1106[2]) exstitisse. Etiam quae ex illis sententiis, quae Saxoni ipsi addicuntur, illi operi adtribuendae sint, discerni non posse arbitror. Utcunque se res habet, hoc tamen ex his quae diximus, sequitur, non solum, id quod certum est, ann. Hildesheimenses esse exceptos, vero etiam admodum multa esse deleta, cum omnes sententiae, quas ann. Coloniensium scriptorem ex Annalista Saxone transcripsisse dicunt, operi principi Paderbornensi adjudicandae sint, atque opus medii aevi gravissimum temporum iniquitatem nobis eripuisse. Jam id quoque annales nostros si integros haberemus de fonte illo amisso qui etiam in ann. Magdeburgenses et Palidenses transiit (cf. Wattenbach l. c. pag. 410. 494.) multo magis ut edoceremur omnem veritatis speciem non fugit[3].

---

[1]) Magnum mihi gaudium attulit, quod vir clarissimus de Giesebrecht eandem sententiam proposuit (in libro: Geschichte der deutschen Kaiserzeit, III. 3. pag. 1014) praesertim cum mihi hoc conficienti illa omnino cognita non esset. Dissertationem Lehmanni (Berol. 1867), quae ibi citata est, inspicere non potui.

[2]) Ex quo nunc intelliges, nihil obstare, quominus, quod ad a 1107. de sententia: „Erkenbertus abba cet.“ diximus, verum sit. — De Giesebrecht „Ann. Paderbornenses“ a. 1106 incepisse asseverat, sed mihi quidem certum esse non videtur, cum vix credi possit, ann. illos hoc ipso anno ortos esse, quo Ekkehardi chronici prior pars desiit, nisi forte illi annales continuatio hujus operis fuerint.

[3]) conferas, ut unum exemplum exhibeam:

A. 1130.

Ann. Hild.

Burchardus de Lucca occiditur; unde rex contristatus et iratus, Winceburch castrum Herimanni comitis, cui hujus cedis consilium et justum imponebatur, obsidione circumdat.

Ann. Col.

Burchardus de Lucca, amicus regis, in cimiterio occiditur, jussu ut dicitur, Herimanni comitis de Winceburg; unde rex non minima affectus animi tristicia, scilicet tam de interitu amici, quam de perpetrata injusticia, predictum castrum obsidione circumdat.

Ann. Saxo.

Burchardus de Luccenheim, amicus regis, comes Fresonum in quodam cimiterio a militibus domini sui, comitis Herimanni de Winceburh, quia ipsius voluntas erat, insidiose circumventus, infideliter est interemptus. Unde rex Liuderus, non minima affectus animi tristitia tam de interitu amici quam de impetrata injustia, castrum Wincenburh obsidione circumdedit.

Ann. Palid.

Ipso anno comes Burchardus de Lucca occiditur, unde rex iratus, Wincenburg, castrum comitis Herimanni, cui necis hujus consilium inpingebatur obsedit.

Ann. Magd.

. . . . Burchardus de Lukenem, comes Fresonum, in quodam cimitterio a militibus domini sui, sicut ipsius voluntas fuerat, insidiose circumventus, infideliter est interemptus. Hujus perfidiae vindex fuit Lotharius rex, qui urbem illius Wincenburch dictam obsedit et fregit et comitatum ipsius dedit Ludewico predicto de Thuringia.